NOVA CONSTELLATIO
IN
V. DD. XII. CANDIDATIS
EXORTA
DVM
PER
Excellentissimum ac Admodum Reuerendum Dominum
M. STANISLAVM SLACHETKA,
Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam MAIOREM, Canonicum ad S. Annam, Eloquentiæ TILICIANVM PROFESSOREM.
IN
Celeberrimo Academiæ Cracouiensis
POLO
Prima in Artibus & Philosophia, Laureâ ritu solenni insignirentur.
AB ADALBERTO IGNATIO BARDZINSKI,
Eiusdem LAVREÆ CANDIDATO
OBSERVATA.
Atque gratulationis causa luci publicæ.
CONSECRATA.
Anno Domini, M. DC. LXV. 28. Martij.

CRACOVIÆ, *Apud Hæredes & Successores,* LVCÆ KVPISZ. S. R. M. Typograph.


IN STEMMA ILLVSTRISSIMÆ DOMVS LESZCZYNIANÆ
Cara Deo Qtiam Sint Insignia Celsa Bisontis.
Princeps Sacrorum Denotat Iste Bison.
Pacis ab hoc Veniunt Sanctissima Fædera signo,
Pendet ab armata Paxq; salusq; Fera.
Hyacintus gaýtow. G.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

D. VENCESLAO
COMITI DE LESZNO
LESZCZYNSKI,
DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratia
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI
LEGATO NATO REGNI
POLONIÆ PRIMATI,
Primoque Principi, Domino, Domino Patrono & Benefactori
MVNIFICENTISSIMO.

AVſpicatus nouorum ſiderum, in erudito Orbis Academici Polo exortus, coronati luminis ſui primitias ad ſplendidiſſimam lucis Polonæ faciem, ſummumq; defert faſtigium; dùm Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ Celſitudinis Tuæ peraguſto Nomini, tanquàm Senatûs Poloni Primo Principiq; ſideri, á me conſecratur. Minora quidem lumina hæc ſunt, quàm vt tantæ lucis, ad quam deferuntur, Maieſtatem ferre valeant; vel ideò tamen quòd minora, & nec dum tenebris ſuis, plenè euoluta ſint, maximo lumini Tuo debentur: à cuius circumfuſi luminis magnitudine glorioſiùs, etiam cùm abſorbentur, latent; quàm ad paruam alibi lucem inclareſcerent.

Habent enimuero maximi Principum ſplendores, quod & Aſtrorum Principi ſolenne, vt minoribus etiam faculis locum inueniant, viceſq; ſuas relinquant; quas ne aliquis diurna luce abſorptas, extinctas omninò putaret, nocturno receptu ſuo id agunt, vt quantum minores iſtæ Lampades, communicatæ lucis beneficio ad inclareſcendum profecerint, eluceſcant. Erit porro & his, apud Te Illuſtriſſime & REVERENDISSIME PRINCEPS, *minoribus Laureati cætus faculis locus aliquis; quas cùm publica lux* Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis *tertium literatæ gloriæ ſæculum Orbemq; adimplens, candidiſſimo ſinu produxerit: non alibi iuſtius; quàm ad* PRIMATIALE *in Orbe Polono ſidus Tuum, ceu Lydium veræ lucis lapidem, exponere debuit. Hoc enimuerò admirandum illud eſt, cuiusq; claritudinis compendium; hæc illa conſummati ſplendoris Prima in Regno Princepſq; amuſſis; in cuius manibus, ipſe etiam Coronarum fulgor, vim ſuæ lucis primo experitur; gaudetq; non ante, ad populorum venerationem conſpectumq; prodire; quàm illi ſacra hæc* ARCHIPRÆSVLEÆ Dignitatis Celſitudo, *Numen quoddam Venerabile inſpiret. Quanquam id in Te* Illuſtriſſime & Reuerendiſſime PRINCEPS, *etiam ante culmen, hoc ſolo Regum faſtigio minus, quantæcunq; lucis capacitate auguſtius clariusq; extitit; cum difficultatem domeſtico externoq; Orbi induceres, ſublimari ne in Te aliquid poſſet, quod non ante virtutis Tuæ Celſitudo præuenerit, incomparabili ſapientiâ, Auctoritate, Eloquentia, Humanitate, verbo dicam,* LESZCZYNIANA Felicitate Tua. *Europæ certè portio maxima & cultiſſima, Iudicia in Te ſua, ita experta eſt, vt nunquam adimpleret; ad quantaſcunq; in Te laudes connixa, hoc vnum egiſſe videtur, vt in ſecundis conſiſteret; cùm Primas Tibi virtute, & gloriâ Primati ſemper, inualidæ, ad Encomia Tua, virtutis ſuæ confeſſione conceſſerit. Viciſti vbiq; Magnitudinis Tuæ, in animis hominum menſuram; cùmq;* Victorioſiſſimum Regum VLADISLAVM IV. *Orbis non caperet, Ma-*

ret, Maiestatem eam in Te inuenit; quâ eum dignus tanto Rege Legatus, ad Pronubam Serenissimæ lucis, in Galliæ Regno faciem, ore Tuo, pectore, aspectuq́ʒ spirantem, gloriosè circumferres. At verò Patriam Remq́ʒ POLONAM, *quantus post Atlantem Hercules sustineas; quomodo Orbem eius motu trepidationis sæpiùs concussum, ad verum gloriæ Regularemq́ʒ cursum componas; quantam lucem, ex hoc Senatûs Poloni, quod imples, fastigio, in vniuersum Reipublicæ Corpus diffundas magnificentiùs Illustriusq́ʒ est; quàm vt aut hac titubante Pupilla comprehendi: aut hoc succumbente calamo describi possit. Illa certè,* Literatorum *in Te optime & literatissime Principum, eximiæ felicitatis Diuina, quædam portio est; quòd eruditæ lucis decus, non inter decora tantùm; sed inter delicias quoq́ʒ Tuas computaueris semper: Sapientissimi pectoris laude ita eminens, ceu nihil aliud, inter tot, Amplitudinis Tuæ ornamenta, Tibi ad gloriam, alijs ad exemplum, quod tanto affectu, diligeres, superesset. Perpetuus itaq́ʒ apud Te literarum honos, literatorum amor est, cui istud quoq́ʒ in acceptis referimus, quòd cum tantillo Nouorum Siderum lumine in* Illustrissimo Conspectu Tuo *comparentes, ad insolitam, tantæ lucis faciem, cerni Nos, discerniq́ʒ posse non penitus desperemus. Patieris id tantisper* ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME PRINCEPS *incredibili benignitate Tua; rudimentaq́ʒ lucis nostræ, ad perfectissimam gloriæ Tuæ diem, perfici, componiq́ʒ permittes. dabis quoq́ʒ mihi Nouæ huiusce* Constellationis *in* Cœlo Academico *Obseruatori, eam, Serenus benignusq́ʒ gratiam; quam Parenti meo summam exhibes semper; quâ me in numero Clientum Tuorum Beneficentissimi Principis affectu, iam olim censes. Qui cùm in* POLO ACADEMICO *Veram virtutis & doctrinæ lucem quærere, pulcherrimum existimaui, & Polum hunc tantorum in Republica Polona siderum Parentem, in quo nunc primùm Laureati exortus diluculum, experior; & me*

vna Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudinis Tuæ *Patrocinio, æternùm deuoueo.*

Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudinis vestræ

Deuotissimus Cliens

& seruus.

ALBERTVS IGNATIVS. BARDZINSKI.

ORBIS ACADEMICI.

Stellæ polari lucidiſsimæ D. I. CANTIO, Stellam Polarem cum votiuo applauſu D. Cq;.

ORbis Auguſtæ Iagelonis aulæ
Lampadum docta ſerie coruſcans
Tot per ætates meat erudito
Cardine nixus.
Nulla conſtantem mouet, irretorti
Vis tamen curſus ſeriem; nec vllo
Se gradu vinci patitur togati
Sphæra laboris.
Nempe Diuini voluêre nutus.
Hoc opus, certis ſuper Axe Craci
Legibus ferri, vigilante magni
Lumine CantI.
Hoc perennantis decus omne Phœbi.
Sidus æternum, quod amica Muſis
Signat & doctæ veneranda fert veſtigia lucis.
Hic togatorum Polus auſpicati
Luxque ſplendoris Peripatum omne
Noſtra cui debet ſenium Patrumq;
Nomina priſca.
Claret annoſis tua fama ſeclis,
ô ſacrum ſidus rapimurq; tecum
Ad coronatos apices & vnâ
Voluimur omnes

Norma virtutum ſapientiæq;
Factus eſt nobis ſpeculum; intueri
Nos quod & vitæ decet innocentis
Laude referre.
Tu Cathedrarum ſapidos labores
Efficis, curas ſteriles supernâ
Luce fæcundas & amica nobis.
Tædia reddis.
Terna ſeclorum numeramus in Te.
Temporis lapſi ſpatia & perennes
A tuo nobis benè pollicemur
Lumine faſtos.
Sis tuis ergo iubar ô Polare
Lechiæ Muſis placidum ſacræq;
Lucis augmento redimito noſtræ
Serta Coronæ

CLARISSIMIS
EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,
EXAMINATORIBVS
TRIANGVLVS

Ob ſimilitudinem Δeltæ literæ, á Græcis Delton, à Latinis ob proprietatem formæ in tribus ſideribus ſplendidiſſimè relucentis TRIANGULVS dictus.

COeleſte ſidus quàm benè cardines
Seruet Polares quamq; Trionibus
Septem coruſcet ſanctitatis,
Per Lechiam Cynoſura Canti.
Pupilla mentis vidit acutior;
At quæ togatis ſidera curſibus.
Et eruditæ lucis aulæ
Palladio radient in Axe

Quis

Quis Proclus? aut quod grande Copernici
Pectus loquetur? Pierides! sacer
Vobis ocellus lampadumq;
Nota per Empyreos recessus
Latè micantûm lucida semita
Vos eruditus si quid habet Polus
Virtute literisq; clarum
Aonio reserate cantu.
En Fulgurantis grande Trianguli
Succedit Astrum seq; micantibus
Euoluit ignibus, togato
Orbe Craci super & Poloni
Theatra Phœbi, cerno liquentibus
Flammis, decorum lumen ab aureo
Sophûm exoriri Ternione;
Cerno faces, & amica Musis
Præferre lucem sidera Craciÿ
Princeps Sophorum te sibi claritas
Doctæ, Facultatisq; Primus
Poscit honos Stagyræ Coruscum
Iubar MAKOWSKI prima Trianguli
Lux eruditi cedit honoribus
Tuis id emensos labores
Atq; tuas meruisse curas
Inter togatos tantaq; publicæ
Exacta lucis munera quis neget?
Firmasse quêis nomen perenne:
Te loquitur Peripatus omnis
Sed eloquentis gloria Tulliÿ
Phœboq; carum pectus in ardua
Suadæ Palæstra Tiliciq;
Rostra super tibi fert coruscas
SLACHETKA laudes; quem calamo virum
Et ore scimus Nestoreo Parem
Præferre sidus laureatum
Ad Patriÿ speciem Leonis.
Coronæ lucis nec minor aureæ
Sophûmq; splendor te sibi vendicat
Amor Thomistarum PRZEWOSKI
Ingenio studioq; grandes

Curas Sophorum vincere promptius;
Felix Cathedræ Posna cui decus
Cursusq; Vladislauiani,
Publica lux meritum reponit
Honoris accessum ergo Trianguli
Dilecte Musis Ternio Lechicis
Hac luce qua viuis perennà
Quodq; tuis radiare nostras
Permittis umbras imaq; mentium
Lucis togatæ dotibus; omnium
Te fama, te lux sæculorum
Ambiat & celebret per orbem.

II. V. D. THOMÆ PODREBSKI,

Sanctissimi Sepulchri CHRISTI Custodum Canonico Regulari Professo Conuentûs MIECHOVIENSIS.

ARA:

Quæ ideò dicitur collocata esse inter Astra; quia Dij in ea primùm mutuo coniurationem fecerunt.

CLare PODRĘBSKI Cruce purpurata
Atque Phœbeo decorande serto
Quod tibi sidus veniat fideli
Accipe mente.
Ara te spectat super Axe fulgens.
Ara quæ sacro manet in recessu
Nempe quod certis tribuantur apta
Nomina rebus.
Mysticæ signat decus Ara vitæ
Præsidem mundi notat Ara CHRISTVM
Cuius æterno benè mancipatus
Viuis honori
Lætus hac gaude rutilante stella
Lumen hoc sectare tuæ figuræ.
Hoc tibi sidus dedit ad perennes
Gloria laudes.

Iam

Iam Coronatis Cracidos Cateruis
Ore facundo placidus videris
Iam tibi sacræ propius refulgent
Rostra Cathedræ
Corda tu vinces hominum, probisque
Moribus reddes meliora sic te
Pulchra cælorum feret æuiternæ
Ara salutis

III. V. D. BARTHOLOMÆO MAKOWSKI, *HERCVLES*,

Draconem immensæ magnitudinis hortorum custodem insomnem ad Hesperidum mala aurea perimens.

INgens Herculei te sibi luminis
Augusto residens gloria vertice
Cinctum Palladijs poscit honoribus
MAKOWSKI iubar aureum.
Alcidem rutilis fama curulibus
Consensuq Iouis voceq publica,
Diuum sydereis intulit orbibus
Monstrorum domitus furor.
Malis Hesperidum dumq sub aureis
Portentosa Draco peruigil explicat
Spirarumq trahit mille volumina
Ictu concidit Herculis
At vis ingenij suadaq fortior.
Os pectusq tibi doctiloquum dedit
Inuictaq tenes eloquij manu
Quidquid vicerat Hercules,
Mentes auriferis ille Catenulis
Ducebat rapiens; nectareo magis
Tu torrente rapis quidquid in aureos
Suadæ venerit impetus
Pectus magnanimum scilicet artibus
Excultum ingenuis publica lux quoque
Tanto splendidius reddidit arduis
Rerum parq negotijs

Hac virtute nitens laurigeris Sophûm,
Immortale feres nomen in exedris
Lucebitq; tuæ ſidus adoreæ.
Ad ſtirpis decus in clytum.

IV. V.D. DANIELI KASTELLI,

C O R O N A.

Nouem ſtellis ſimilitudinem Coronæ Ariadnes referens.

AVguſta Cœlos quæ radiantibus
Corona ſtellis ambit & aurei
Latè repercuſſum nitoris
Magnanimo properat Leoni
Deferre lumen; ſpontè caput tibi
Doctum coronat; Roxiaci decus
Inſigne KASTELLI Leonis
Eloquio Cytharaque felix
Nouena circum ſidera fulgurant
Quâ ſe Coronæ lux Ariadneæ
Deducta ſtellatos in orbes
Tollit in Aſtrigero Theatro.
Datura ſeclis non hominum manu
Gemmis & auro condita munera;
Opus ſed immortale diuum
Sidereo proin Axe dignum.
At eruditæ munera gloriæ
Quæ te decoro lucis in ambitu
Latè coronant mille dotes
Egregias tibi mille laudes
Adeſſe docti pectoris & bonæ
Mentis fatentur; per Cathedras tua
Suadela ſeu dulcis triumphet
Seu Cythara modulante promas,
Amica noſtris ſymbola laureis
Dignus Corona ſiderea nites
Dignus coronati Leonis
Ingenio patriaque vates.

V. V.D.

V. V.D. ADRIANO KROBSKI,
BOOTES.
Iouis olim filius à Lycaone interemptus, & inter sidera cœlestia, à Ioue coopatus.

IAm numerare Poli radiantia sidera cœpi
Hydræ lustraq; deuia
Dumq; aliis illustre iubar designet Olympi
Tu vis gemmea Stemmata
Arcturum sortire Bootes carus Ioui
Olim ductus in Æthera
Cui Sæuus lacerare pater cùm membra putasset
Mensam sanguineam parans
Diuorum tentans Regem mox fulmine lapso
Vindictâ superum cadit.
Inuidiæ sed nulla tibi sunt tela timenda
Cum sis carus Apollini
Virtutiq; tuæ Laurus cum docta feratur
Quæ te cingit honoribus
Nempe tuum pectus, franget vis nulla laboris
Nec mens difficilis Sophûm
A teneris cùm docta tibi sacraria Phœbus
Pandat Thespiadum chori
Hûc tua te virtus duxit fecitq; Bootem
Claro lumine fulgidum
Tu lucem firmare tuam, non desine donec
Ad summum decus exeat
Splendens resplendens magno virtutis amore
Doctæ Palladis in sinu

VI. V. D. IOANNI ROCHOWIC,
CEPHEVS,
Regis Æthyopum nomen & factum perpetua siderum Configuratione repræsentans.

VT totus tacitis latescit Æther
Obductus tenebris facesque pellit
Cepheus prodit vbi, silent & Astra
Ac Phœbea soror notat quietem

Non sic: ast secus est, Polo dicatus.
Nostro dum ROCHOWIC nitore clarus
Cepheus progrederis, bonum beatum
Omen lucis, habes procul tenebræ
Hinc caligo, procul faces nitescunt
Arctousque Polus, fugat quietem
Impensi studij Corona Phœbi
Laurus grata micat labore parta
Monstro dat spolium Pater marino
Natam, non equidem Parens seuerus
Sed plùs quàm bonus; ast dicare gratos
Ætatis teneræ Deæ Mineruæ
Annos hic labor, vberes futuri
Fructus & Patriæ decus perenne
Cui das atque voues tuam iuuentam
Tempus vita, labor, dies & Anni,
Et quidquid Superi ferent benigni
Hoc cedet manibus bonæ Parentis
De te, quæ sibi tanta pollicetur
Laudis munera literata, totque
Musarum decora Ingenique dotes
In te quanta nitet modestioris
Virtus pectoris indolesque grata
Quantos conciliat tibi fauores
His tu clarus eris feresque doctæ
Laurus munera donec erudito
Fias conspicuus Sophûm Theatro.

VII. V. D. IOANNI PATOCKI,

LYRA

Quæ collocata dicitur inter Astra propter honorem Mercurij qui eam condidit ex testudinis similitudine de Apollinis boum cornibus.

Non solùm Cytharâ stellatus ducitur æther
Gaudent hoc ipso Numina Pieridum
Nec non Mercurius Chordarum fertur amore
Hoc ipsum Mater Cracouiensis amat
Non Linus Ismario solers non ille Tegæus
Donat sed nostro sidere vouit eam
Vult onerata lapillis Laurus fundere lucem
PATOCKI suadæ delicium atque decus
Estque tuâ semper stellâ nil carius orbi
Quæ flectit dulci saxa ferasque sono.

Est

Est Lyra stella tua oblectans mortalia corda
Est Lyra demulcens pectora docta virûm
Te quoq; flexerunt Chordis Heliconia turba
Traxit & ad studium Cracia Musa suum
Laurigero meritumq; caput vestiuit honore
Vltra dat Cytharam tangere dulcisonam
Eloquij pulchrumq; iubar dedit ore micare
Imponitq; tuæ Laurea serta comæ
Exoriare tuis igitur virtutibus orbi
Naturæ cinctus dotibus egregijs,

VIII. V. D. PETRO KAMINSKI,

PERSEVS

Qui cùm Medusæ caput abscidisset, Mineruæ illud tradidit; ob id inter astra relatus.

TOrquetur vario cingendi stemmate sensus
Sidereæque domus varia ecce ad lustra recurro
Quo possis exornari præcelse KAMINSKI
Quod te animumque tuum valeat lustrare sagacem,
Voluens en picti sublimia sidera Cœli
Inuenio Martem pedibus properare Cephei
Natam, quæ titulo exoptat splendere celebri
Magnus erat quondam dicto testante Maronis.
Magnum te renuit nemo Craco referente
Abscidit ille caput propter scelus ense Medusæ
Tradidit vt testatur dulcis Apollo Mineruæ.
Pulsabas & tu fatalia fila sororum
Atque dabas lætam pallenti sæpè salutem
Te Machaon Cousque senex, sibi poscit ad artem
Nominis excelsi medicæ per rostra Cathedræ
Vt monstrosa dein vincas portenta trucesque
Corporibus morbos expellas, quod tibi faustum
Omen habe, Laurusque tibi quæ prima decoram
Præcingit frontem; sit tandem grande futuri
Auspicium felixque tui dictamen honoris.

IX. V. D. SIMONI WŁOSINSKI,

GYGNVS.

Cuius Figuram Iupiter olim in Attica regione circumferens imaginem eius astris reliquit.

VIrtuti niueus cedit olor tuæ
WLOSINSKI Niuei symbola pectoris

Adsit ut cùm tibi totq;
Dotes mentis eburneæ
Olim sceptrigero complacuit Ioui
Cygni candidior forma liquentibus
Cùm delabitur auris
Terris hospes amabilis
Expansisq; domos sidereas dein
Alis competeret censuit ætheris
Inter lumina celsi
Cygni sidera figere
Diuinus color est qui niue candida
Illibata notat Symbola pectoris
Qua tu laude coruscas
Affectusq; rapis tibi
Hinc est quod niueam mentis amet tuæ
Dulcis suada domum, quæ placido tibi
Oris nectare fertur
Et grata auribus influit
Morum compositis quàm benè dotibus
Exornas, tibi quod præstitit hactenùs
Nomen dulce Patroni
Clari lux GRABIANOWII
Hic formata nitet lux animi tui
Vt Cygni referas symbola candida
Hac tu dote beatus
Doctam suscipe lauream

X. V. D. ANDREÆ BRZEZINSKI, PEGASVS.

Dicitur ad Astra pro Bellerophontis interitu euolasse.

QVi nouit varios Poli recessus
Insignesque vias per orbis Arces
Certis temporibus videt
Vix intenta scit hic mea
Lustrans inueniam Polo propinquum
Sidus quod gelido fauet Trioni
Te BRZEZINSKI animo virum
Cum sis mole tua minor.
Clarus te sonipes Tonantis orbe
Plenum denotat auge literata
Paruo corpore sis licet
Virtutis tamen Inclytæ
Musis Pegasus inter eruditas
Cessit delicias iubarque sacrum
Et te Pierides bonæ
Docto dulce fouent sinu

Illustres

Illustres animi tui nitores
Non reptare facis per ima terræ
Sed tanquàm Sonipes celer
Vis sublimia tangere
Tangas impositis comæ coronis
Nunc fausto pede promoue labores
Cursu præpete sæpiùs
Lustrans Aonidum domus.

XI. V.D. SEBASTIANO MAICHROWIC, ERIDANVS.

Qui inter Astra collocatus est propter Phaëtonta solis

Expectem varijs quoad
Obscurus tenebris signifer adferat
Stellis materiam meis.
Ætati tribuam tum Capiti tuo
Laurus lumine dedicem
Monstrant Eridanum celsa Palatia
Cuius suscipe tu facem
Splendens est positum sidus in æthere
Nati propter Apollinis
Audaces animos qui regere inscius.
Currum dum Patris expetit
Et frenare nequit colla iugalium
En currus cadit è Polo
Incenduntur aues ætherea domus
Solis flamma calet nimis
Eduxit latices Eridani Iouis
Extinguat rubeum vt focum
Hoc laudis tibi sit flumen amabile
MAICHROWIC quod in vberem
Virtutis solidæ, det tibi gloriam
Phœbus qui tua diligit
Elegitq; sibi corda recondita
Consignata scientiæ
Vt sis Eridanus, fac age pluribus
Mentem pasce laboribus
Sic plenis tua laus profluet alueis.

XII. V. D. MARTINO CHYBICKI, DELPHINVS.

A NEPTVNO olim ob Amphitrites coniugium maximis honoribus affectus Astrisq; cœlestibus insertus.

STellas quæ nostri conscendant mœnia cœli
Non omnes piscis diximus ordo manet D Cæru-

Cæruleus pulchre resplendens Delphin in oris
Qui Phœbi celsum, vult penetrare Polum
Coniugium quærit seruus rectoris aquarum
Thessaliæ ex oris quod petit ipse sibi
Et meritas grates simul ac acquirit honores
Obsequijque placet dexteritate sui
Tu quoque de Patria consurgens sorte CHYBICKI,
Palladis inuigilas artibus ingenuis.
Fulgentemque refers Laurum quam cura fidelis
Et quam sudores commeruere tui
Sic doctrina tibi lucem dabit inclyta sic te
Ornabit Laurus ; doctaque Musa canet.

XIII. V. D. BALTHASARI TVMLINSKI, ARGONAVIS.

Dicitur esse fabricata á Danao qui cognitá malitiâ Ægypti; Mineruam inuocauit adiutricem cum qua nauim fecit, & in ea ex Africa profugit.

CVm varie rutili monstrarim sidera cæli
Rursus in Axe mihi radians en stella recurrit
Lucentis Danai ; naualis sorte Mineruæ
Iam constructa ratis splendet fulgore celebri
TVMLINSKI referas ; sidus quod fulget in Orbe
Cum Phœbus vitreis rutilans procedit ab vndis
Atq; nouo terras collustrat lucis in ortu,
Finio voluendo pulcherrima sidera cæli
Puppe laborata, manibus nec mente sororum
Sed Laurus ramo, seruantis semper honores
O felix, Phœbi felix, sortire carinam
Cæsariem meritam, Laurus cum cingit honore
Magnæ virtutis nauem, referens super alto
Musarum Pelago, felicia vela beato
In portu compone, tuis faueatq; secundá
Sors animi, cæptis donec virtute togata
Hic meritas laudes referas & naue corusca
Fortunata tuæ reuehas insignia famæ

AD GENEROSVM ET VENERABILEM,

ALBERTVM BARDZINSKI,

V. THOMAS PODRĘBSKI, Ordinis Canonicorum Regularium SS. Sepulchri Domini Hierosolymitani Professus eiusdem Laureæ Concandidatus.

QVæ cura Patrum, quævè Quiritium,
Tuum Polares Sydus in insulas
Referre BARDZINI coruscans
Per titulos, memoresq; fastos
Conetur? En te stemmatis inclyti,
Primo virentem flore scientiæ,
Pallas Iagellonæa certat
Laurigero redimire serto.
Paczenianis nuper in Ascijs
Prælusit, Abdank hic tuus aurea
Insignia & Ceras auorum
Posthabuisse lucris auet nunc.
Ergo supinæ Victor inertiæ
Cùm laureato sydera vertice
Trans sydus Arcturi micantis
Trans & Hyperboreos Triones
Intres beatus. Scande Aquilam Poli,
Pridem Polonis signa fauentia,
Hæc vera virtus, vera veri
Nobilitas genio renasci.

GENEROSO ac VENERABILI,
ALBERTO BARDZINSKI,
Primæ Laureæ Candidato symbolum sinceri affectus SIMON WLOSINSKI, offert.

TOgata Cœlo lumina Cracio
Et Laureatos qui Iagielonicas
Accendis ignes per Cathedras
Ipse Tuæ cynosura lucis.
Solusnè pulchrà dote micantium
Carebis astrorum? ô rutilum iubar
Decusque BARDZINSKI Tuorum
Sanguinis ô noua lux vetusti!
Auita poscit Te sibi gloria
Æuoq; ductus splendor ab aureo
Latè coronatus decoris
Per Proauos Atauosque factis
Conclusit in se quod Patris inclyti
Illustre pectus; luceque Nominis
Impleuit augusta per altum
Lanciciæ Themidis tribunal
Hac luce nasci Te decuit, bonæ
Fauore sortis quem sibi publica

Lux destinabat per Togatæ
Mentis opus viridesque Laurus.
Nec sola circumferre Tibi placet
Domûs Paternæ lumina; sed nouam
Lucem mereri Laurearum
Indole magnanima, Tuoque
Dignum putâsti pectore nobili
Quo suada dulcis, quo sua condidit
Mellita Phœbus dona, quo se
Vranies studium recepit,
Vigilq; doctæ cura Matheseos
Tot ergo cum Te luminibus, iubar
Circumstet omne, ô Care Musis!
Ingenio cytharaque Vates;
Non vna cedit lux Tibi syderum
In Te sed omnis fulgurat, aureos
Corona stellarum per ignes
Quæque Tibi placuit canendo
Deferre nobis singula lumina;
In Te refusis syderibus decus
Redundet omne; vt sis refulgens
Ipse Tibi Polus ipse lampas.

Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Admodum Reuerendi Domini,

D. ANDREÆ KVCHARSKI,

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Professoris,
Ecclesiæ Cathedralis Cracouień CANONICI, Collegiatæ
Ecclesiæ OMNIVM SANCTORVM PRÆPOSITI, Contubernij
Hierosolymitani PROVISORIS, & Studij Almæ
Vniuersitatis CRACOVIENSIS
GENERALIS RECTORIS,
VIGILANTISSIMI.